



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-803614-p0002-8

DFO

DISSE^TRATI^O THEOLOGICA
CONNE^XI^EN^ONE
FIDEI ET OPERVM
ADJUVANTE DEO
 SUB PRÆSIDIO

DN. JOH. GVILIELMI BAJERI
 S. THEOL. D. ET PROF. PVB.

FAC. THEOL. h.t. DECANI

publicæ ventilationi subjicienda

Ab

AUCTORE RESPONSURO

CHRISTIANO SAHMIO,
 Regiomonte Prusso.

a. d. Septembris A. C. cIc Ic LXXXVI.

in Auditorio Theologico,

horis solitis.

 J E N Æ,

TTPI^S GOLLNERIANIS.

PATRIBVS
REIPUBLICÆ CNIPHOFIANÆ,
quæ Regiomonti est,

Inclytis,

VIRIS,

*Magnifico, Nobilissimis, Amplissimis
atque Consultissimis*

DOMINIS

DN. CONSULI,

PRO-CONSULL,
SENATORIBUS

ut &
SECRETARIO,

*Patronis, Fautoribus atque Promotoribus suis
suspiciendis, colendis, ac humili obser-
vantia prosequendis*

Dissertationem hanc Theologicam

submissè sacrat
Christianus Sahmius,
Reg. Borussus.

149





§. I.

Eram Fidem, quam Scriptura ab hominibus salvandis requirit; & à quâ proinde illi fideles dici merentur, tām arcto cum Bonis Operibus cohærerē nexus, ut separari non possint, disertè testatur S. Jacobus, quando *Fidem sine operibus rem mortuam* esse dicit Ep. c. II. v. 17. hōc ipso indicans, eos non fore propriè loquendo fideles, qui operibus bonis caruerint: quemadmodum homo mortuus non verè & propriè, sed æquivocè homo appellatur. Rem ipsam verò quod attinet, novimus, (1.) quod agat ac *operetur per charitatem Fides*, Gal. V. v. 6. neque otiosus sit, qui eandem in nobis efficit, DEI Spiritus; sed *fructus Spiritus* producat, amorem nempe, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, bonitatem, fiduciam, comitatem, castitatem. Rom. VIII. v. 9. II. Gal. V. vers. 22. 23. Hinc, dum novo se induunt homine fideles, qui secundūm DEum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis Ephes. IV. v. 24. atque in arbores Justitiae, Plantasq; Domini evadunt: Esaiæ LXI. v. 3. implentur fructibus Justitiae, qui per Christum Jesum sunt in honorem & gloriam DEI Phil. I. v. II. per illos, qui pacem servant. Jacob. III. v. 18. Constat præterea (2.) Opus vocationis fidelium, ad quod creati sunt in Christo Jesu, esse hoc, ut ambulent in Operibus Bonis, ad quæ DEus antea eos preparavit, ut loquitur Paulus ad Ephes. II. v. 10. atque hoc ipso non solum necessitatem illis impositam dicit, ex vi voluntatis aut mandati divini; verūm etiam hoc ipso, quod fide donati aut fideles facti & per fidem servati sunt

sunt à Deo, ad bonorum operum exercitium, velut ad finem, quem Deus intendat, tendere debere pronunciat. Unde Salvator noster confert fideles cum *arboribus bonis*, Matth. VII. v. 18. quæ, sicuti nomen suum tueri non possunt, nisi bonos ferant fructus; ita nec illi fideles dicimur reantur, qui non agunt ex fide. Cumque ea fidei Justificantis sit indoles, ut nunquam ab ea abesse posset *Fiducia*, quam Apostolus πεποίθησαν vocat, Ephes. III. v. 12. & quæ cum persuasione de veritate promissionum divinarum, etiam ex parte voluntatis acquiescentiam quandam in Christo, tanquam causa impetranda apud Deum gratiæ & salutis, conjunctam habet: inde (3.) liquidò apparet, non adesse fidem, ubi non adsit inclinatio seu propensio ad præstandum id, quod Deo Christo que gratum esse potest, adeoque ad servanda mandata DEI & Christi, quæ nos ad Bona Opera obligant. Id quod exsertis verbis testatur Job. I. Epist. III. v. 10. quando ait: *Omnis qui non facit Justitiam, non est ex DEO, & qui non diligit fratrem suum.* Adhæc (4.) Per Fidem efficiuntur filii DEI, dum omnis, qui credit Jesum esse Christum, ex DEO natus esse dicitur. I. Job. V. v. 1. Atqui alias in confessio est, quod cum essentia proprias quoque affectiones communicare soleant Filiis Patres, adeoque h. l. similiter cum ratione formalis filiorum Dei, etiam proprietates eorum Christianis conferri agnoscendum est: ut proinde cum D. Petro concludamus, quod omnes, qui morigeri DEI sunt Filii, assimilari debeant DEO, ut sancti sint in omni conversatione, quemadmodum & ipse Deus sanctus est: ex I. Epist. I. v. 14. Atque hoc (5.) illud est, quod Paulus dicit, non aboleri Legem per Fidem, sed stabiliri. Rom. III. v. 31. Quia enim fides affert Spiritum Sanctum, & parit novam vitam in cordibus, necesse est, ut pariat spirituales motus in cordibus. Qui-
nam



nam autem sint illi motus ostendit Deus per Prophetam
cùm ait: *Dabo Legem meam in corda eorum.*

§. II. Postquam igitur fide justificati & renati sumus, incipimus Deum timere, diligere, petere & expectare ab eo auxilium, gratias agere & prædicare & obedire ei in afflictionibus. Incipimus & diligere Proximos, quia corda habent spirituales & sanctos motus: uti ait *Apologia Augustanae Confessionis* sub tit: de Dilect. & Implet. Legis p.m.83. Cujus sententiam reliqua quoque Ecclesiarum nostrarum Symbola, & Theologorum scripta, sæpissimè inculcant. Ita enim in ipsa Aug. Conf. art. VI. legimus, quod Fides debeat bonos fructus parere, & quod oporteat Bona Opera facere: Et in Apolog.l.c.p.86. quod impossibile sit dilectionem Dei divellere à fide: Similiter in Art. Smalcaldicis part. 3. art. 13. p.336. dicitur, ubi non sequuntur Bona opera, ibi fidem falsam esse & non veram. Porrò in Epitome Art. IV. num.I. p. 589. docetur, quod Bona Opera veram fidem certissimè atq; indubitatò sequantur, tanquam fructus bona arboris; & num. X.p.590. quod sint testimonia, quod Spiritus Sanctus præsens sit atque in nobis habitat. Quod uberioriis verbis B. Lutheri explicat Solida Declaratio Art.IV. p. m.701. quod scil. fieri non possit, quin Fides semper Bona operetur. Neg̃s enim fidem querere demum, an Bona Opera sint facienda, sed priusquam de ea re inquiratur, jam multa Bona Opera Fidem effecisse, & semper in agendo occupatam esse: Imò Impossible esse Bona Opera à Fide verà separare, quemadmodum calor urens & lux ab igne separari non potest &c. In eandem quoque sententiam B. Lutherus in Comment.ad cap. XV. Genesios: Scimus, inquit, quod fides nunquam sola sit, sed afferrat secum charitatem & alia multiplicita dona. Et in Lib. de votis Monasticis dicit: Neque enim omitti possunt Bona

A 3

Opera



Opera, etiam praesente Fide, quæ sola justificat, cum sint fructus fidei justificantis.

§. III.

Ex quibus simul patet, quām malitiosè Pontificii nostros calumniis onerent, quando Bona Opera ab iis prohiberi, & eorum studium vel damnari, vel minui aut labe-factari, afferere non verentur. Quā de re jam ipsi Confessores Augustani gravissimè conquesti sunt Art. XX. quando dicunt: *Falsò accusari nostros, quod Bona Opera prohibeant: Scripta enim eorum planè aliud testari.* Quibus omnibus tamen non obstantibus, Curia Romana per suos Præfectos, pro ea, quam imaginatur sibi, infallibilitate, nostros anathemate prosequi non dubitavit. Adeò, ut ipsi Patres Concilii Tridentini, postquam insimulârant nostros, quasi liberos se esse putent ab observatione mandatorum, ac in sola fide sibi blandiantur, Sess. VI. Cap. XI. hos quoque suis inserant canonibus: Canon XIX. *Si quis dixerit, nihil preceptum esse in Evangelio præter fidem, cetera esse indifferentia, neq; præcepta neq; prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.* Canon XX. *Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum DEI & Ecclesie, sed tantum ad credendum, quasi verò Evangelium sit nuda & absoluta promissio vite æternæ, sine conditione observationis mandatorum, anathema sit.* Et ne quis forte dicat, alias potius, quām nostras hisce fulminibus notari Ecclesiæ, Nomina quoque Hæretica, quibus notarent nostros, excogitarunt Pontificii, dum Opericidas eos apud Casp. Ullenberg. de Causis Apostasiæ cap. 5. & Leonhard. Lessium in Consult: nec non Fidesolarios apud Menzerum in Exeg. A. C. art. IV. num. 4. p. m. 185. nominarunt: Adhæc præcipui eorum
Docto-

Doctores de nostris Ecclesiis hos Concilii Tridentini explicant canones : prout ante ista tempora *Johannes à Dantonia* in Refut. art. VI. A.C. scripsit, *Opera Bona à Luthero proscripta*, & qui hæc prædicabant, *injuriis, conviciis, proscriptionibus & verberibus affectos esse*: contrà eos, qui omnem lapidem movissent, ut omnis ex humanis cordibus bene operandi adimeretur affectus, omnisq; conatus, palmâ donatos esse. Et sequuntur eum *Colonienses Dialog.* V. p. 169. dicentes, *Lutherum quondam nulla prorsus flagitia quenquam ab æterna salute excludere, præter infidelitatem, docuisse*. Et *Stapletonus*, *Apud horum, inquit, temporum hereticos, (Lutheranos) omnis pietas, justitia, virtus, timor DEI, Religio, non exulat tantum & jacet, verùm etiam exploditur & irridetur*. Quibus per omnia subscribit *Pazmannus Lib. 3. Hodegi*, quando ait: *Lutherani quicquid ad bonum nos incitare possit, radicitus subvertunt, quicquid retrahere potest à Bonis Operibus acriter urgent, quicquid à Peccatis abstrahere potest, id omne seponunt*. Adeò ut hodienum doceant, non *Lutherum solùm Bona Opera damnasse*, ut ait *Becanus*, *Concl. 4. de Ecclesia Reformat.* n. 22. sed *omnia quoque Bona Opera simpliciter à nobis repudiari*; ut videre est apud *Gretserum in Agonist. thes. 219. p. 241*. Cum tamen satis ipsis constet, tantum abesse, ut *Bona Opera prohibeant Nostrates, aut repudient, ut ea potius summè necessaria esse doceant, tūm quia à DEO mandata sunt, ac ei placent; nosque per Christum redempti sumus, ut imposterum serviamus Justitiae, ac gratitudinem nostram erga DEum declaremus; tūm ut iisdem proximum nostrum sublevemus, edificemus, & ad veram pietatem invitemus, tūm denique ut vocationem & electionem nostram firmam reddamus, nec male agendo aut securius vivendo fidem excutiamus, & Spiritum san-*

ctum



Etum contristemus: Sicuti ipsimet Pontificii nostratum hanc esse sententiam etiam nolentes fateri coacti sunt, uti videre est ap. B.Gerhard.Conf.Cathol.Lib.II.Part.III. Art.XXIII. cap.4.

§. IV.

Sed ad rem ipsam redeamus. Non uno modo rerum connexio fieri solet: quædam enim *Per se* connectuntur, quædam verò *Per Accidens*. Priore modo non solum illa junguntur, quorum unum alteri *per se* inest; verum etiam, quæ se ut *causa per se* ad effectum suum proximum & vice versâ habent. Quæ verò *per Accidens* connectuntur, vel habent se ad invicem ut *subjectum* & *accidens*, vel ut *causa per Accidens* ad effectum sese habet. Ulterius, quæ *Per se* insunt, duorum sunt generum; Primum enim *Per se* inesse dicuntur Philosopho I.Post.4. quæ in explicandâ rei naturâ atq; essentiâ adhibentur: qualia sunt genera & generum genera, itemque differentiæ omnes, nec non materia & forma sive partes rei essentiales. Deinceps verò & illa *per se* inesse dicuntur, quæcumq; rem aliquam ita consequuntur, ut cum, quid illa sint, definitione explicatur, necesse sit rem ipsam in definitione accipi: quomodo insunt affectiones propriæ seu accidentia propria. Tandem habent se, ut *causa per se* ad effectum suum, quæ suâpte naturâ & propter se alteri conveniunt. Illa autem quæ ut accidentia insunt, iterum sunt duplia: quædam enim horum dicuntur à Scholasticis accidentia *prædicamentalia*, quædam verò *prædicabilia*. Illa definit Philosophus esse in aliò tanquam in *subjecto*, ita ut non possint esse sine eo, Lib. Categ.c.2. Hæc vero, I. Top.5. esse dicit, quæ possunt eisdem & inesse & non inesse. Ultimò tandem, ut *causa per accidens* sese habent ad effectum, quæ non propter se conveniunt juxta I. Post. 4. Conf. IV. Metaph. 18. & 30. Max. Rev.

Dn.

152



Dn. D. Zeidler, Lib. I. de variis Sciendi generibus c. 5. & Excell.
Dn. M. Andr. Hedio Lib. I. Poster. Anal. Sect. I. Cap. II.

§. V.

Quæritur ergo, quonam modo Fides & bona Opera sint connexa? Non defuerunt quidem jam inde ab Apostolorum temporibus, qui Fidem & bona Opera non per se sed planè per accidens connecti docuerunt; eò quod neque necessariò unum ex altero aut post alterum sit, neque ut plurimum hæc conjuncta sint. Persuasi enim fuerunt, quòd non sit necesse, ut homines, ad salutem adspirantes, Bonis Operibus operam darent, modo fide sint instructi: prout non solum ipse *Apostolus Paulus* hoc ipsum *Rom. III. 8. & cap. VI. i.* indicat, sed exsertè quoque testatur *D. Augustinus*, quando, *Paulus*, inquit, *Apostolus, prædicans justificari hominem per fidem sine operibus, non benè intellectus est ab iis, qui sic acceperunt dictum ut putarent, cum semel in Christum credidissent, etiam si male operarentur, & facinorosè flagitioseque viverent, salvosse esse posse per fidem.* Lib. Octoginta trium Quæstionum, Quæst. LXXVI. Veniunt talia docentes *S. Johanni*, *Apocal. c. II. 6. & 15.* nomine *Nicolitarum*, qui promiscuum concubitum & quodvis peccatum innocuè à fidelibus perpetrari posse docuerunt. Ejusdem erroris complices quoque fuerunt *Simon Magus*, & qui ab eò ortum traxerunt, *Gnostici*; ut & *Valentinus* cum Asseclis suis, aliique, quos recensent *Irenæus* Lib. I. advers. Hæref. cap. 23. & seq. *August. de Hæref. ad Quodvultd. Theodoreetus* Lib. I. Heret. Fabular. *Tertullianus adversus Valentinianos*, ac alii plures. Verùm graviter hi tūm ab ipsis Apostolis, tūm à viris Apostolicis refutati sunt, & in primis adversus eos calamus strinxit *S. Jacobus*, qui per integrum suam Epistolam nihil aliud urget, quam hoc, quòd fides necessariò Bona Opera conjuncta

B

juncta



juncta habeat: unde & Cap. I. 3. statim ait: *Sciatis, quod probatio fidei vestre operetur patientiam*; & cap. II. 17. *mortuam vocat fidem, quae non habet opera, imo tribuit quoque hanc fidem demoniis*; ejusd. cap. v. 19. quando ait: *Tu credis, quod DEUS unus fit, bene facis: Et demonia credunt, Et contremiscunt*: & rotundè, ejusdem cap. v. 14. concludit, *illum non posse salvari, qui ejusmodi fide instructus est, quae non pariat bona Opera*. Reduxerunt eorum Hæreses superiori seculo *Libertini ac Fanatici* illi, quin nullis verbis divini regulis, nulli disciplinæ aut professioni ad strictos se esse statuentes in quocunque nequitia genus ruerent, à Spiritu S. acti videri voluerunt. Sic enim de Münzero memorat *Bucholzerus* in *Indic. Chronol.* ad à 1522. quod Lutheri librum de libertate Christiana, pessimè interpretatus fuerit in animi licentiam & rerum confusionem; & quamvis cum eo aliquoties contulisset, tamen meliora monentem audire vel sequi detrectaverit. Unde porrò inter eos, qui Anabaptistæ dicebantur, inventi sunt, qui non solum à politicis legibus, idèque etiam decimis, tributis &c. verùm etiam à divinis legibus per Christum se se exemptos gloriabantur; quod tamen alii crassiùs, alii subtilius egerunt. Vid. *Bulling. contra Anab. L. II. c. II. seq. Wigan-dus contra eosd. p. 16.* In primis acta *Monasteriensium famosa* sunt: ubi postquam Prophetæ eorum nocturnos cœtus agendo, *quosdam hæresibus suis infecissent, ipsumq; Bernhardum Rotmannum* primum in urbe illa à Reformatione *Concionatorem*, in partes suas pertraxissent; tandem non veriti sunt, collectis ex urbibus vicinis errorum sociis, *Magistratum civicum mutare, & ex suis Cipperdoltingum & Cipperbrochum consules creare, iisque alias viginti & duos addere Senatores*. Imò eò nequitia progressi sunt, ut superiori quoque Magistratui se opponèrent,

153.

rent, *Johannem Bocoldum*, Leidensem sartorem, Regem suum renunciarent, & gerendo bello præficerent, polygamiam introducerent, & quicquid libeat licere dicerent, cum omnis sua actio ex Spiritus S. proveniat inspiratione. Sed vel suo exemplo satis docuerunt, non à Spiritu S., sed à Patre Mendacii ejusmodi homines agi. Nam cum ex urbe Monasteriensi novam Jerusalem se condituros prophetarent; nil nisi maledictionem, & vœ, Jerusalem à Christo annunciatum, sceleribus suis sibi acquisiverunt: dum multi fame, plurimi autem ferrœ & militum sævitie periæ. Historiam prolixè descripserunt *Heinricus Dorpius* civis tum Monasteriensis, *Lambertus Hortensius Montfortius*, *Sleidanus L. X. Comment. de Statu Relig. & Rep.* & juxta illos *Hoornbeckius L. V. summa Controv.* & *J. H. Ottius* in *Annal. Anabapt. ad A. 1533. seqq.* Pertinent huc quoque, si quando extiterunt illi, qui sequentes defendisse dicuntur propositiones. Als bald du gedenkest / so und so solt es in der Christenheit zu gehen / es solten keine erbare/ züchtige/heilige/feusche Leute seyn / so hastu des Evangelii schon gefeilet. Bistu eine Hure/Bube/Ehebrecher/ oder sonst ein Sünder / gläubestu / so bistu im Wege der Seeligkeit. Wenn du mitten in der Sünden stekfest / und bist auffs höchste / gläubestu so bistu mitten in der Seeligkeit. etc. Vid *Luther. T. VII. Altenb. fol. 314. Hoornb. Summ: Controv. L. X. p. 803.*

§. VI.

Quamvis autem hisce in plerisque alias adversentur Pontificii, in eō tamen amicissimè cum iis conspirant, quod Fidem & Bona Opera accidentaliter connexa statuerunt; quando dicunt: Fidem aliquando fine charitate esse in hominibus; & Infidelitate ipsa fidem amitti. Sed quocunque alio mortali peccato non amitti fidem. Vid. Joh. à Daven-



tria Refut. Art. VI. A. C. & Concil. Trident. Sess. VI. c. 15.
quod uberioris explicationis gratiā addit: *Divinam Legis doctrinam ē regno DEI non solum infideles excludere, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, rapaces, ceterosque omnes, qui lethalia admittunt peccata.* Et ne sine ratione hoc asseruisse videantur, varia conquirunt argumenta, quibus thesin hanc suam probare annituntur, quorum præcipua ex Job. à Davent. loco citato ita se habent: I. Si Fides est donum DEI, quō intellectus illustratur robaturque, ut ea, quæ naturalem captum superant, agnoscat & absque ulla hesitatione credat; sequitur, quod non necesse sit, charitatem cum eā semper esse conjunctam: Sed verum est antecedens, ergo & consequens. Antecedens probare nititur Pontificius ex Hebr. XI. i. ubi fides definitur *substantia sperandarum rerum*, argumentum non apparentium, & ex eō deducere videtur, quod per fidem intellectus quasi informetur, tanquam per certissimum argumentum, ut agnoscat ea, quæ captum naturalem superant: Consequentiam autem exinde confirmat, quoniam haud raro usu venit, ut illuminatō intellectu, non aquè mox etiam inflammetur affectus, ad præstandum id, quod intellectus dicit: Sicuti apparet ex Rom. I. 21. ubi Apostolus dicit, quod licet gentes cognoverint DEUM, non tamen sicut DEUM glorificaverint & gratias egerint. Verū menim verò, si accuratiūs hoc argumentum perpendamus, apparebit, sumi in eō quipiam, quod nullo modo concedi potest. Nam quod in antecedente majoris propositionis dicitur: Fidem esse donum DEI, quō intellectus illustratur, robaturque &c. verum quidem est, sed eandem tamen nondum perfectè absolvit, cùm præter hoc requiratur etiam fiducia ad perfectionem ejus: uti vel ex eodem



eodem loco, qui pro confirmatione adductus est, satis apparet. Dicitur enim ibi fides esse non tantum ἐλεγχός, sive argumentum certissimum, (quod præter vim informandi, etiam convincendi robur habet: atque ad assensum inclinat;) verum etiam ὑπέρσασις, πολὺ τὸ ὑφίσασι
quia firmiter stat, non cadit aut fugit, certissimā & immotā fiduciā in DEI promissionibus acquiescens. Ut demonstrat B. Gerb. Conf. Cath. Lib. II. Part III. art. XXIII. cap. I. ubi & reliqua argumenta hoc ipsum demonstrantia videri possunt. Nos interim II. Arg. aggredimur, quod ita habet:
De quacunque re homo non potest esse certus, ea non habet necessariam cum fide connexionem: Sed de charitate homo non potest esse certus; Ergo charitas non habet necessariam cum fide connexionem. Consequentiam majoris exinde probat Pontificius, quod statuamus, hominem de fide suā posse certissimum esse; cùm autem proprietates rerum, quæ necessariò cum re ipsa cohærent, non possint abesse unquam à re ipsa, inde constare putat, eum qui de re ipsa certus est, etiam de iis, quæ necessariò cum re ista cohærent, certum esse debere; & si quid dicatur rei, de qua certus esse potest homo, proprium esse, nec tamen de eodem certus esse possit homo; hoc non esse verum & legitimum proprium seu consequens ac connexum necessarium rei istius. Minorem verò constare putat ex Eccles. IX. 1. eò quod ibi dicatur, nescire hominem, utrum sit in charitate an verò in odio. Respondemus autem ad allatum argumentum, negando minorem, quæ qvamvis probari videatur Pontificio ex citato Ecclesiastis loco, tantum tamen absit, ut inde robur quoddam nanciscatur, ut ne vestigium quidem probationis cuiusdam in eodem appareat. Non enim ibidem sermo est Salomonide charitate, in qua ipse homo ignorans versetur, aut quæ ad ipsum pertine

at, sed demonstrat potius, nescire hominem quemque, nec posse ex iis, quæ accidunt alteri cuidam, certò concludere, alterum apud Deum esse in gratia vel in odio, cum & ipse hoc jam experimento didicerit: sicuti id verba textus originalis clarissimè innuunt, quæ ita habent:
גַּם אֶחָדָה אֵין יְוָדָה חֲרָם הַכְּלָל לִפְנֵיכֶם ;
& à B. Luthero optimè versa sunt: **E**s kennet kein Mensch weder die Liebe noch den Hass irgend eines/den er für sich hat.

III. ita argumentatur: *Si virtus non potest, nisi per oppositum vitium, interire; sequitur, quod neque Fides possit interire in homine, nisi per incredulitatem; non vero per carentiam charitatis seu Bonorum Operum. Sed verum est antecedens; Ergo & consequens. Illud probat per inductionem;* dicit enim, neque justitia potest interire, nisi per iniquitatem, neque temperantia nisi per intemperantiam; & sic in cæteris: *Consequentia autem per se constat, quia de quâvis specie valet, quod de toto genere verum est. Verum non infert argumenti hujus conclusio, quod inferendum erat: Quanquam enim non dicamus, per carentiam Bonorum Operum formaliter tolli fidem, certum tamen est, carentiam hanc Bonorum Operum, certissimum ac infallibile signum esse, ex quo concludere liceat, veram fidem non adesse; prout alias ex iis, quæ necessariam cum subjecto suo habent connexionem, ipsum subjectum praesens vel absens esse demonstrari solet.*

IV. argumentum Pontificiorum desumptum est ex I. Cor. XIII. v. 2. ubi dicit Apostolus: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Unde concludunt; fidem ex sententia Apostoli esse aliquando sine charitate. Quia vero in his verbis Paulus non enunciatively docet, dari fidem veram in aliquo subjecto, in quo non est charitas; sed tantum conditionaliter, si fieri possit,*

set, ac fieret, ut haberet fidem absque charitate; fidem illam sibi non fore salutarem: ideo facilè apparet, quām infirmo fulcro sententia adversariorum nitatur. Ne dicam quōd alii disputant, non loqui hīc Apostolum de fide Justificante, quæ præter notitiam & assensum, etiam fiducialiter meritum Christi apprehendat: Sed de fide potius miraculosa, quæ in certa & indubitatè persuasione consistit, fore ut divinā ope, supra vires causarum secundarum, id in actum datur, quod perficere intendit ille, qui fide hāc est instructus: uti videre est ap. Marc. XI. 23. ubi dicit Christus: *Amen dico vobis, si quis monti huic dixerit: Tolleret & præcipitare in mare, & non dubitet in corde suo, sed credat, quod futura sint ea, quæ dicit, erit ipsi quod dixit: quam si ne charitate existere posse quidam concedunt; præcipue quod & Christus Matth. VII. v. 7. testetur, multos miracula edituros, qui tamen nunquam ab ipso agniti sint, ac per consequens nunquam, uti decet, in eum crediderint.* (Quod tamen aliqui sic accipiunt, ut donum miraculorum & fidem miraculosa distinguant: de quō nunc non attinet agere pluribus.) V. adducere nituntur exempla fidelium, quin nulla Bona Opera effecerint, & tamen fide instructi dicuntur, ac citant verba Johannis ex cap. XII. 42. ubi dicitur: *Multi ex Principibus crediderunt in eum, sed non confitebantur: dilexerunt enim magis gloriam hominum, quām gloriam DEI.* Sed ex ipsō contextu satis liquet, non aliam hōc locō Evangelistam tribuere fidem Principibus illis, quām Historicam atque humanam, motivis credibilitatis humanæ, non autem revelatione divinā, velut ratione assentiendi propria, adeoque per supernaturalem assensum, nixam; quandoquidem eos, qui magis diligunt gloriam hominum, quām gloriam DEI, seu quod eodem recidit, qui gloriam ab invicem querunt, & gloriam, quæ à DEO est, non querunt,

pullo



nullo modo credere posse, expressè testatur Salvator ipse. Joh. V.v.44. Manet itaque adhuc, Fidem veram & Bona Opera necessario & indissolubili, non autem accidentario quodam nexu cohærere.

§. VII.

Sicuti verò illi in defectu, ita è contrariò Sociniani in excessu peccant, dum Bona Opera seu (ut ipsi loquuntur) obedientiam primò ex Aristotele ante allatò Per se modò cum Fide cohærere, ipsamque obedientiam ESSE ac Formam Fidei absolvere statuunt. Ita enim ipse Socinus De Christo Servatore Part. IV. c. II. Fides, inquit, in Christum, quæ nos justos coram DEO constituit, nihil aliud est, quam Christo confidere, id est, non solum quæcunque Christus ad nos spectantia dixit, vera esse, credere, sed etiam ea tanti estimare, ut, si quid nos facere præcepit, id faciamus, si quid nos sperare jussit, id speremus. Cui subscribens Smalzius Disp. XII. contra Franzium, Quemadmodum, ait, anima non est secundarium hominis, sed essentialē & formale: ita opera vel pietas Christiana, ipsa sunt Fidei Christianæ forma & essentia. Similiter Slichtingius contra Meisnerum p. 308. Fidem salvificam dicit esse obedientiam præceptorum, sub spe iræ divinæ effugienda & immortalis vita consequenda. Neque hanc paucorum opinionem privatam esse, putandum est; quandoquidem in ipso Catechismo Racoviensi Cap. IX. de Fide, publico Ecclesiarum suarum nomine proposuerunt; atque obedientiam sub fide comprehendendi docent & inculcant. Sed facilis horum est refutatio, cùm Scriptura S. expressis verbis illis contradicat. Disertè enim testatur Paulus, Hominem justificari per Fidem, sine operibus Legis. Rom. III. 28. Et ei qui non operatur, sed credit in eum qui Justificat impium, fidem suam imputari ad justitiam. Rom. IV. 5. Item: Credere nos in Jesum Christum, ut justificemur

temur ex Fide Christi & non ex Operibus. Gal. II. 16. Itaque quando fidei adscribitur, quod operibus derogatur, fatendum est, opera sub fide non comprehendendi. Varia hic comminiscuntur, quibus eludere conantur clarissima illa Scripturæ sacræ modo allata testimonia, ut suam stabiliant sententiam: v.g. quod fidei contradistinguunt opera, quæ & perfectam & perpetuam obedientiam continent, qualem sub lege DEI ab hominibus requirebat; non autem ea, quæ obedientiam, quam DEUS à nobis, qui in Christum credidimus, requirat, comprehendunt: scilicet ut pro virili voluntatem DEI exequamur. vid. Catech. Racov. l.c. Quasi nimis in N.T. lex divina non exigat perfectam obedientiam; aut Paulus docuerit, homines in N.T. non justificari per opera obedientiæ perfectæ; justificari autem per opera obedientiæ imperfæctæ: quorum utrumque falsum, posterius planè absurdum est. Cæterum nec postrema est Slichtingii stropha, qui contra Meisnerum p. 325. dicit, quod *Fides in strictâ & propriâ significatione habeat se ad obedientiam, ut causa ad effectum, ut arbor ad fructum, ut mater ad filiam: sed in latiori significatione, cum illi Justificatio plena & perfecta tribuitur, habeat se ut totum ad suam partem, sic ut causam cum effectu, arborem cum fructu, matrem cum filia complectatur;* Adeoque rectè obedientia definitiæ Fidei sic acceptæ ingrediatur. Verum enim verò, quis non videt Bonitate causæ destitutum Socinianum, effugium hác suâ distinctione quæsitum non invenisse? Disertè enim in adductis Scripturæ testimoniis Justificationis absolutè sic dictæ, adeoquè plenæ & perfectæ fit intentio, ac nihilominus tamen fidei expressè contradistinguunt opera, dum Justificatio soli fidei, non verò operibus adscribitur. Illi tamen ipsam quoque Scripturam sibi favere, demonstrare nituntur: Dicunt enim I. Paulum Apostolum obedientiam fidei formam

C

esse



esse innuere, dum non solum Rom. I.5. dicit : Accepisse se se gratiam & Apostolatum ad obedientiam fidei in omnibus gentibus per nomen Christi, sed & ad confirmandum id ipsum, sub finem Epistola ejusdem illud repetit, quando: manifestatum est, inquit, nunc (mysterium) per scripta Prophetarum, secundum mandatum aeterni DEI, ad obedientiam fidei in omnibus gentibus notam reddendam. Rom. XVI.26. Verum neque consequentia argumenti hujus patet, cum exinde, quod hic obedientiae fidei mentio fiat, non possit inferri, obedientiam formam fidei esse: neque probatum adhuc dum est ab adversariis, agere hic Apostolum de fide quam creditur, quod omnino iplis faciendum erat, si quicquam roboris sententiæ suæ ab hoc argumento accessurum sperent. E contrario autem ex parallelis Apostoli Phrasibus facile demonstrari potest, non ipsam fidem justificam, quam meritum Christi apprehendimus, nobisque applicamus, hoc loco intelligi, sed fidem potius Quæ creditur: Ita enim in hac ipsa Epistola ad Romanos mentem suam explicat Apostolus, cum ait: non omnes obediunt Evangelio. Jesaias enim dicit: Domine, quis credit concioni nostræ? Rom. X. 16. eandemque confirmat, quando II. Thesal. I. 8. pœnam minatur iis, qui non obediunt Evangelio. Quod si tamen vel maxime exponantur verba de fide, Quæ creditur, facile tamen constabit, fidei hoc sensu tribui obedientiam, quod assensu supernaturali, quem voluntas piò affectu imperat intellectui, absque malitiosa repugnantiæ fertur in doctrinam divinitùs revelatam: Unde nihil sequitur pro sententia Socinianorum, qui obedientiam præceptis Christi, quoad varias agendorum classes præbendam, fidei nomine comprehendi contendunt. II. afferunt locum ex I. Corinth. XV. 58. Ubi abortatur Apostolus Corinthios, ut excellant in opere Domini, quandoquidem ipsis constet, Laborem hunc suum non esse inanem



nem in Domino. Ibi enim per opus Domini intelligere Apostolum
Fidem, patere putant tum ex contextu ipso, tum ex Job. VI.
29. ubi ait Christus: Opus Domini est, ut credatis in eum, quem
misit. Cum autem Opus Domini, ac proinde etiam Fidem,
Laborem vocet Apostolus, nullus autem Labor DEO placeat,
nisi ex quo obedientia erga mandata DEI elucescat; inde con-
cludunt, Fidem in eo consistere, ut allaboremus legem DEI im-
plere, ac proinde obedientiam erga Leges DEI fidei formam
esse. Resp. autem non agere hoc loco Apostolum de forma
fidei, sed adhortari tantum suos, ut fidem, in qua hactenius
steterunt, servent porro, quod sine labore & studio bono-
rum operum fieri non posse facilè conceditur, & Paulus
suomet exemplo docet, dum disertè profitetur, sentire se
aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis sue,
& captivantem se in lege peccati ad faciendum ea quæ nolit:
velle quidem adjacere sibi, perficere autem bonum, non in-
venire; non enim quod velit bonum, hoc facere; sed quod nolit,
malum, unde quotidiè sibi luctandum sit. Rom. VII. 23. Ex
eo autem, quod perseveraturis in fide necessaria est nova
obedientia aut studium bonorum operum; ad ostenden-
dam formam fidei, quæ in obedientia illa consistat, non
licet concludere. III. ita argumentantur: Quærere Domi-
num est timere eum, ipsique obedire: ut ipatet ex collatione lo-
corum Esiae LV. 6. 7. & LVI. 1. At verò Fides est quærere
Dominum. Ebr. XI. 6. Ergò fides est timere Dominum, Ipsique
obedire. Sed majorem argumenti hujus quod attinet, non
liquet, quomodo illa ex contextu locorum allatorum e-
rui possit: Nam Esiae LV. 6. 7. nihil aliud habetur, quam
hoc; quærere Dominum, esse, relictâ viâ iniquitatis, & co-
gitationibus pravis, convertere se ad Dominum: exinde
verò nequaquam in ferri potest, quærere Dominum esse obe-
dire Domino, velut jam reconciliato ex fiducia, in ipso

C 2

aut



aut Mediatore Dei & hominum defixa. Quando verò
cap. LVI. i. adhortatur Propheta ad exercitium Bonorum
Operum, non explicat amplius, quid sit querere Domi-
num; sed novam planè exorditur orationem: & sic potius
incolcat, obedientiam non esse ipsam fidem, sed eadem
potius posteriorem. Apostolus autem non dicit,
ipsam fidem (formaliter) idem esse, atque querere
Deum, sed fidem, quæ fertur in doctrinam divinitus reve-
latam, dicit peculiariter occupari circa id, quod Deus quæ-
rentibus eum, benignum aut remuneratorem esse se, revela-
vit. IV. Paulum I. Thessal. I. 9. 10. duas dicunt Fidei Justificare par-
tes fecisse, quarum una sit servire DEO; altera verò, Filium e-
jus expectare à cœlo; idque nihil aliud esse, quam sub spe iræ di-
vine effugiendæ, & immortalis vitæ consequendæ DEO &
Christo obedire. Sed non patet, quomodo hoc ex loco A-
postoli allato sequatur: Agit enim ibi de Conversione Thes-
salonicensium, & recenset terminos ejus à quo & ad quem ob-
jectivos, seu quod ab idolis, ad DEUM verum ac vivum
sint perducti: quodque fructus conversionis sit spes ineundi,
Duce Christo, beatitudinem; de forma autem fidei pla-
nè hic non est sollicitus. Imò alibi jam disertè testatus
est, formam fidei non esse servire DEO, cùm hoc ipsum
posteriorius statuat fide, dicens: *Quomodo invocabunt, nis-
si (prius) credant. Rom. X. 14.* Jam verò Invocatio non po-
strema cultūs, quod DEUM prosequi fideles debent, pars est;
unde evidentissimum est, non formam Fidei, sed aliquid
potius fide posteriorius, cultum Divinum & obedientiam,
ex Apostoli sententia, esse. *Vid. B. Scherzeri Colleg. Anti-
Socin. Disput. LXXXII. & seqq.*

§. VIII.

Vidimus hactenus allorum de connexione Fidei &
Bonorum Operum sententias: reliquum est, ut nostram
nunc



nunc quoque afferamus. Quod ut eò commodiùs exsequamur , denuò monemus , sermonem nobis non esse de Fide , qualicunque modo acceptâ , sive in tantâ latitudine , secundùm quam etiam *Dæmones* dicuntur *credere* ; atque ita etiam homines *hypocrite & non sancti* , fidem *humanam* verbo Dei præbentes , operibus bonis autem destituti . Verum in significatione strictiore , quâ fides *justificans* , fides *salutaris* aut *salvifica* appellatur . Atque ita quidem certum est , fidem , per quam actu transferimur in statum gratiæ , esse actum *Intellectus* pariter & *voluntatis* ; illius quidem , ut agnoscentis & assensu supernaturali amplectentis promissiones divinas de remissione peccatorum & salute per gratiam DEI & meritum Christi consequendâ , quas homo ad se pertinere judicat , scil . sub iis , ad homines omnes sese porrigentibus , de se in individuo subsumit & concludit , DEUM sibi propter Christum fore propitium & peccata remisurum : *voluntatis* autem , quatenus in meritô Christi , tanquam Bonô præsente , & causa consequendæ apud DEUM remissionis peccatorum acquiescit , eique innititur . Et hâc ratione Apostolus dicit , *fide justificari hominem absque operibus Legis* , Rom . III . 28 . id est , fidem , in actu justificationis , seu quatenus per eam justificamur , spectari solam : non æquè spectari opera , quomodo cunque cum fide conjungantur : quâ ratione Nostrates porrò colligunt , quòd neque ipsa fides in negotio justificationis spectetur in se , ut est actus hominis ; verum spectetur à DEO unicè ratione *objecti* , quod est meritum Christi , cuius vi , virtute ac valore , Divinam voluntatem moveat fides ad non imputanda , seu remittenda homini peccata . Deinde verò constat , fidei nomen non tantum accipi de actu secundo credendi ; verum etiam de *qualitate* , & quidem de *habitu* quodam spirituali ac supernaturali cognoscendiea ,

quæ divinitus revelata & credenda sunt, præsertim de Christo Mediatore, & gratia Dei ac salute per Christum impletanda; eidemque per & propter revelationem divinam assentiendi, & fiducialiter in Christo acquiescendi; quæ ratione Fidei vox accipitur I. Cor. XIII, 13. ubi dicit Apostolus: *Nunc vero* (in hac vita, donec status beatitudinis & lumen gloriae venerit) *manent haec tria: Fides, Spes & Charitas*; id est, habitus credendi, sperandi, diligendi. II. monemus, quod quando de Operibus Bonis sermo est, quamvis negari non possit, nomine operis propriè loquendo designari actus secundos, aut actualia exercitia virtutum Christianarum, v.g. invocandi, glorificandi DEUM; ope, consiliò, solatiò juvandi proximum &c. præterea tamen etiam, ipsæ virtutes Christianæ, quæ sunt qualitates spirituales & principia actionum sanctorum seu operum bonorum, bonis operibus accenseri, eoque nomine comprehendi soleant; fortè ideo, quod habitus illi non sunt otiosi, sed quando & quoties datur occasio operandi, exerunt se per opera bona.

§. IX.

Si ergo queratur, quænam Fidei & Bonorum Operum, quatenus haec in actu primò considerantur, sit connexio? Dicimus Bona Opera hoc modò considerata, cum Fide Habituali, secundo Per se modo connexa esse, & habere sese ad Fidem, ut Proprium ad suum subjectum. I. enim omnia ea requisita, quæ requiruntur ad id, ut sit aliquid alterius proprium strictè sic dictum, nempe, ut *soli, semper, & omni* competit, & hic reperiuntur; *Primum*, quia testatur Apostolus, *omne quod non ex Fide est, peccatum esse*, Rom. XIV. 23. Unde etiam *Oratio impii peccatum*, Psalm. CIX. 7. & *sacrificium atque immolatio peccantium, abominatione Domino* dicitur Esiae I. 13. Adhæc summa legis est charitas

152



tas ex corde purò, conscientiâ bonâ, & Fide non fictâ, ut ait
Paulus I. Timoth. I. 5. Quapropter & Romanos adhortatur
Apostolus, ut reformatur renovatione mentis, ut probent,
quæ sit voluntas DEI bona, bene placens, & perfecta. Rom.
XII. 2. Vid. B. Chemnitii Examen Concilii Tridentini. Part.
I. de Operibus Infidelium. Secundum autem, quòd nempe
Semper quoque Bona Opera veræ Fidei conjungantur, ex
eō patet, quod Fides non solum determinat intellectum ad
assentendum verbo DEI, & præsertim iis, quæ de Christo
Mediatore & Redemptore generis Humani in verbô DEI
proponuntur, atque inde ex certis argumentis evincit, quæ
nam agenda aut fugienda sint: sed ipsam quoque voluntate
incitat atque impellit, ut avertetur cupiditates carnis,
quæ contra animam pugnant, eaque è contrariò perse-
quatur, quæ bona sunt ac honesta, DEOque accepta. Terti-
um tandem, quando requiritur, ut Omni homini, Fide Ju-
stificante credenti, insint Bona Opera; exinde certum redi-
tut, quòd ea non vera Fides, sed mortua esse dicatur Jaco-
bo, cui Opera non insint: prout superius jam demonstravimus.
II. ea quoque exigitur, quæ Philosophus in Definitione se-
cundi per se modi recenset, hue omnino quadrant: (1.) enim
revera insint Bona Opera homini fidelis, ut fidelis; prout ex su-
perioribus constat. & (2.) Bona Opera definiri non possunt, ni-
si assumatur Fides: cùm eadem Bona sint Opera, quæ fiunt
à Renatis per Spiritum Sanctum ex verâ Fide. III. Ipse quoq;
Salvator noster apertè satis indicat, Bona Opera Proprium
Fidei esse, quando ait: Arbor Bona non potest non bonos ferre
fructus. Matth. VII, 18. Sicuti enim fructus ferre omnibus
quidem arboribus commune est, bonos autem fructus ferre
bonarum tantum arborum proprium: ita opera quidem
ab omnibus; bona autem opera, solum ab iis fiunt, in qui-
bns Fides per charitatem operatur. Unde Nostri quoque

Theo



logi frequenter ejusmodi in explicandâ Bonorum Operum
naturâ adducere solent similia, quæ proprietatum declarant
naturam. Dicunt enim, *Impossibile esse, Bona Opera à Fide*
separare: quemadmodum *Calor urens & Lux ab igne separari* non potest. Solid. Declarat. art. 4. Item; Novimus, fieri non
posse, ut fides vera vivaque magis separari possit à DEI proxi-
mique dilectione, ac Bonorum Operum studio, quam à ferro
gravitas; & ab igne calor separari potest; ait B. Brochmandus
de Justif. Cap. I. sect. 7. Max. Rever. Dn. D. Kortholt. illu-
strans præsentem materiam in Discursibus ad A. C. art. 6.
Non statim, inquit, que individuò nexo cohaerent, in se unum,
idemque sunt, neque etiam talia eadem admittunt prædicata
necessario, & eosdem producunt effectus. Certè anima ra-
tionalis v.g. & capacitas doctrinæ indissolubiliter cohaerent, nec
altera sine alterâ esse potest, an vero propterea, ut anima est
substantia, & pars hominis essentialis, & quæ capacitas discipli-
nae substantia erit, & essentialis hominis pars?

§. X.

Quando vero queritur; quoniam modo Fides & Bona
Opera, quatenus hæc per modum actuum secundorum spectan-
tur connexa sint? distinctè respondendum est. Nam quod
actualem attinet Fidem, eō ipso tempore, quo peccatoris Vo-
luntas actu occupatur circa Christi meritum, quod causam
impetrandæ apud DEum gratiæ & remissionis peccatorum
ac salutis æternæ esse novit, ac perswasus est, inque eo, tan-
quam causa impetrandæ remissionis peccatorum fiduciali-
ter acquiescit: non dicimus, hominem eundem Bona Opera, in
actu secundo spectata, & ab actu fidei realiter distincta, præ-
stare; ne videamur statuere, quod eodem tempore a-
ctum Fidei exerceat, & non exerceat, sed aliud agat; quod
impossibile esse, ex primò illò Philosophi patet axiomate,
quo dicit, impossibile esse, idem simile esse & non esse III. Metaph.

raph. 3.4. Habitualis autem Fidem quod attinet, cā predi-
tos non facile pretermisuros putamus occasionem oblatam ex-
ercendi Bona Opera, cūm inclinet eos fides, ad facienda ea,
quæ à DEO sunt mandata. Atque hinc est, quod Nostrates Fi-
dem causam efficientem Bonorum Operum dicere solent; ita e-
nim in Solida Declarat. art. 4. legimus: Bonorum Operum Ma-
ter & Fons est ipsa Fides: Unde & Bona Opera veri fructus Fi-
dei, sicut & Fructus Spiritus à D. Paulò appellantur: Fides enim
est Divinum quoddam opus in nobis, quod nos immutat, ex DEO
regenerat, veterem Adamum mortificat, & ex nobis planè ali-
os homines facit, & Spiritum S. nobis confert. Et est Fides
illa quicquam vivum, efficax, potens: ita ut fieri non possit,
qui semper bona operetur. Neque Fides querit demum, an
Bona Opera sint facienda? sed priusquam de eā re inquiratur,
jam multa Bona Opera effecit, & semper in agendo est occupa-
ta. Similiter B. Kromayerus Theol. Pos. Pol. p. 677. dicit: Potest
Fides ad causam efficientem Bonorum Operum referri. Quam-
vis, si juxta Philosophorum scholas distinctius loqui veli-
mus, non immediata & proxima, sed remota potius Bon-
orum Operum, quatenus hæc actu secundo existunt, causa
sit Fides. Sicuti enim alijs actuum secundorum causa proxi-
ma sunt actus primi, v.g. actus loquendi causa proxima est
potentia loquendi, actus discendi disciplinas, causa proxi-
ma est capacitas disciplinarum; ita etiam hoc loco, Bon-
orum Operum, quatenus actu secundo existunt, causa proxi-
ma est habitualis inclinatio abstinenti à peccatis, & ser-
vandi DEI mandata. Fidem tamen dicimus causam effi-
cientem (remotiorum) Bonorum Operum actu secundo e-
xistentium, ex eō, quad causa causæ dici possit. Constat e-
nim Philosophorum sententia est, subjectum illud, cui pro-
prium aliquid inest, causam efficientem ipsius proprii dici
posse, quam Scholastici alijs causam per Emanationem,

D

ali*i*



alii verò causam efficientem καὶ ἀναλογίαν appellant: quamvis reverà Proprium consequens potius necessarium, quā m effectus subjecti sui sit. Vid. Maximè Reverend. Dominus D. Zeidl. in addendis ad p. 273. Anal. Post.

§. XI.

Quidam Nostratium Fidem Bonorum Operum Formam dicere consverunt: Sic enim. B. Dietericus. loc. de B. O. quæst. 29. *Forma Bonorum Operum est Fides: & multi alias ita loquuntur auctores. Verū monent quoque frequenter Fidem sese Bonorum Operum Formam non informantem dicere, sed assistentem, quæ non absolvat Esse Bonorum Operū, sed ut actu existant, efficiat; quomodo cum denominatione causæ efficientis ferè coincidit hæc appellatio. Ita B. Meisn. P. II. Ph. Sob. S. II. cap. I. p. 747. docet, Fidem diciformam operum non per essentialēm constitutionem, sed propter inseparabilem assistentiam, quia fides dirigat bona opera &c. quanquam & aliâ ratione id intelligi velint, scil. quod Bona Opera, quatenus Deo placent, hoc habeant à fide, meritum Christi apprehendente, unde ipsa procedunt. Conf. Meisn. l.c: Carpz. J. sag. ad LL. Symbol. p. 268. 269. Hutter. prælect. in Form. Conc. Art. IV. p. 412. Stegm. Photin. p. 456.*

§. XII.

Diceret autem quispiam, peccâsse nos, dum Bona Opera Fidei diximus esse proprium: cùm Philosophus expressis inculcat verbis: *Si, quod non semper consequitur, proprium positum est; non præclarè & commodè proprium esse explicatum.* V. Top. 2. Bona autem Opera non semper consequi Fidem, ejusque proprium aliquando non esse, negari nullo modo à nobis posse, quibus illa placet Augustini Regula ex Lib. de Fide & Operibus. Cap. IV. Bona Opera sequi Justificatum, non præcedere Justificandum, cùm & ante Justificationem jam Fides, quæ pars pœnitentiae est, existat, adeoque Fide iam producta atque existente

mo-

161



moram tamen aliquam intercedere agnoscendum sit, antequam bona opera producantur. Verum eum vero, facilis ad hæc est responsio; Quamvis enim non negemus *Fidem*, præcedere *Justificationem nostrō concipiendi modo*; vera tamen fides cum *Justificationis actu* tām arctè cohæret; ut quamprimum homo verā fide meritum *Salvatoris suisibi applicat*, statim quoque *DEI misericordis* adsit *Justificatio*, quā Homini Peccatori peccata remittit, eundemque ad vitam æternam acceptat. Unde Nostratium Theologorum thesis est: *Fidem Justificatione priorem esse, sed naturā, non tempore.* vid. *Maxime Reverendus Dn. Praeses Compend. Theolog. Posit. p. 552.* Regula itaque Augustini respicit tempus actum *Justificationis* antecedens, quando neque vera Fides, neque Bona Opera, quæ proprium ipsius sunt, existere possunt. Nostra vero sententia, quæ Bona Opera ex fide proficiunt dicit, agnoscit hōc ipso Bona Opera non esse in *Justificandis*, sed esse *justificatis propria*, quia credentibus propria sunt. Et quamvis posita fide non statim Opera Bona quælibet ponantur, neque omnia simul, quoad actus secundos poni possint: sufficit tamen, posita fide statim poni propensionem habitualem benē operandi juxta varias virtutum Christianarum species, ac datā occasione hujus illius Operis Boni actu exercendi, opus ipsum, mox prodire: alias autem si desint ἐνεργίαται, sive actus externi: ἐνεργήσεις tamen, sive actus internos ac conatum bene operandi sufficere, certè semper adesse ἐνεργειαν: uti Philosophi cum Aristotele in Moralibus distinguere consueverunt.

Soli D E O Gloria.



Præ-Eximio Doctissimoque

DN. CHRISTIANO SAHMIQ

Disputationis hujus Auctori,
Amico honorando ac dilectissimo

S. P. D.


JOHANNES GVILIELMVS
BAIERSVS, D.P.P.

FNimvero & hoc *Opus Bonum* est, Amice, quod
Tu, *Fide* vera ac salutari à Deo donatus, *Conne-*
xionem Fidei & Operum piâ atque eruditâ operâ
tractas. Ita enim non solum *Fidei* Tuæ ratio-
nem reddis, verùm etiam proximo prodesse studies, & per hæc
Academicarum curarum specimina animum ad secuturas
operas, in Ecclesiam Dei conferendas, excolis atque præpa-
ras. *Quamobrem* Tibi meritò gratulor, atque ut divinum
Numen sanctis conatibus Tuis porrò faveat, amicò pectore
precor. Placet autem profectò argumentum illud Dispu-
tationis publicæ, quod elegisti: quando hac occasione Ec-
clesias nostras ab improba istâ accusatione liberas, quasi Fi-
dem ita commendent ac propugnant, ut Bonorum Operum
studium elevent aut eversum eant: simul etiam ostendis,
Fidem atque Opera sic conjungi, ut tamen non eadem ho-
rum atque illius sit ratio, neque pretium aut valor apud De-
um: quodque potius Fides atque Opera à se invicem rectè
distinguuntur, ac distingui omnino debeant: licet hæc ex illâ
nascantur, & illa in his edendis semper occupetur. Itaque
quando tota Theologia nostra ad πρᾶξιν tendit, & praxis
hæc alia non est, quam fidei atque operum: quid superest,
nisi ut summam Christianismi abs Te tractari dicam, ac re-
petam vota, quibus Deum propitium Tibi appreco, atque
ut pietas Tua, juxta promissionem veracissimi Numinis, bona
Tibi afferat hujus & futurae vitiæ. Vale in Domino. Scribeb.
Jenæ d. XXVIII. Septemb. A. C. cIɔlɔc LXXXVI.

ស៊ី) (០) (៥៥)







Farbkarte #13

B.I.G.	Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
8									
7									
6									
5									
4									
3									
2									
1									
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9

18

ATIO THEOLOGICA
DE
NEXIONE
ET OPERVM
UVANTE DEO
SUB PRÆSIDIO
GVILIELMI BAJERI
L.D. ET PROF. PVB.
THEOL. h.t. DECANI
publice ventilationi subjicienda
Ab
UCTORE RESPONSURO
TIANO SAHMO,
egiomonte Prusso.
nbris A.C. cIcIc LXXXVI. Sept. 1686
auditorio Theologico,
horis solitis.

JENÆ,
PIS GOLLNERIANIS.